

15476

DE
PULSATIONE ABDOMINALI.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

QUAM

CONSENSU ATQUE AUCTORITATE AMPLISSIMI
MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITERARUM
DORPATENSIS,

PRO GRADU

DOCTORIS MEDICINAE

RITE ADIPISCENDO,

LOCO CONSUETO PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GODOFRED. HENRICUS DE MAGNUS,

LIVONUS.

DORPATI LIVONORUM,

TYPIS J. C. SCHÜNMANNI, TYPOGRAPHI ACADEMICI.

MDCCCXXVII.



PATRI SUO DILECTISSIMO

GODOFREDO ENGELH.
DE MAGNUS,

MAGNORUM BENIFICIORUM IN SE COLLA-
TORUM, MEMOR

Imprimatur,

ea tamen conditione, ut, simulac typis excusa fuerit
haec dissertatio, antequam distribuatur, septem exem-
plaria ei Collegio, cui censura librorum mandata est,
mittantur.

Dorpati Livonor. d. xvi. Mens. Maji MDCCCXXVII.

Dr. J. C. Moier,
Decanus.

D 16876

Prologus.

TANQUAM PIETATIS ET GRATI ANIMI
TESSERAM

HAS LABORUM SUORUM PRIMITIAS
CONSECRAT

AUCTOR.

Diu equidem haesitabam, quodnam potissimum dissertationis conscribendae argumentum eligerem; plura menti obversabantur, quae diligentius explorata, rejicienda mihi viderentur, cum fausto omine iis tractandis imparem me invenirem. Mox vero intellexi, dubitando ac sollicitè quaerendo nihil profici, sed animum vel magis suspensum reddi et incertum, ideoque aliam rei expediendae viam ingrediendam et viri alicujus, in disciplinae salutaris arcanis satis jam initiati, consilium mihi expetendum duxi. Hunc in finem precibus adii Professore[m] therapiae et instituti clinici in hac literarum Universitate Director[em], Dr. STRUVE, qui illico Abdominis Pulsationem[em] thematis loco mihi proposuit, cui morem gerere atque hac in re studium et operam collocare, abjecta omni cunctatione, decrevi. Nam benevole et comiter ad talem laborem suscipiendum me incitaverat stimulosque injecerat vir humanissimus; quare liberali huic adhortatori gratias debeo atque hic publice ago quantum possum maximas. Ad illud phaenomenon, in nosocomio nostro academico satis frequenter observatum et, nisi fallor, hic loci antea incognitum, Professor modo memoratus auditorum animos iteratis vicibus converterat ac dudum jam, ut commentatio

aliqua hoc de argumento in lucem prodiret, desideraverat. Sed sentiebant multi, quibuscum hac de re confabulatus sum, (quod et mihi accidisse fateor), semitam parum adhuc tritam iis esse ineundam variisque cum difficultatibus col- luctandum, ad quas superandas, ob mancum et tenuem de statu isto morbo literarum penum, magna certe opus esset industria et assiduitate. Tantum igitur abest, ut haec commentatiuncu- lam, tanquam opus quoddam aliis erudiendis idoneum, cuiquam obtrudere in animo habeam, ut potius nihil propositum mihi sit, quam disser- tationis a me pro gradu Doctoris conscribendae officio satisfacere, nec veniam mihi denegabunt aequi candidique lectores, si nonnulla pronun- ciare et exponere audeo, quae vera mihi atque probata videntur, de quibus vero, meliora edoc- tus, libenter sententiam mutabo. Cum enim non docendi, sed multo magis discendi gratia scripserim, eam profecto indulgentiam haud frustra me imploraturum credo, qua medicus tiro, specimen quaecunque exhibens, tantopere indiget, qui propria experientia et observatione plerumque destituitur, praesertim cum subsidia literaria pau- ca eaque rem parum enucleantia praesto ei fue- rint.

P r a e m o n e n d a .

In antiquissimis jam libris medicis hoc symptoma memoratum reperitur, nemo vero ei curatius indagando ejusque causas inquirendo operam im- pendit, unde ad nostram usque aetatem res tene- bris circumfusa latuit. Burns ¹⁾ post eum Krey- sig ²⁾ jam paulo plura, secundum causas diges- ta, de pulsatione abdominis nobis offerunt, quam- quam eam breviter tantum attingunt nec in hoc symptomate examinando magnopere versantur, quippe qui in scriptis suis praestantissimis alia symptomata tanquam majoris momenti et ad pra- xim medicam magis necessaria respiciant eaque uberius exponant. Albers in commentatione sua ³⁾ ordinem magis chronologicum observasse vi- detur, quem vero minus idoneum judico, licet eximii hujus viri in argumentum nostrum merita, grato animo sint agnoscenda. Mihi quidem ea, quam Kreyzig protulit, distinctio rei quam maxi-

-
- 1) Herzkrankeiten von Allan Burns. Lemgo 1813 p. 301.
 - 2) Krankh. des Herzens von Dr. Fried. Ludw. Kreyzig. Berlin 1814 Th. I. p. 309.
 - 3) Ueber Pulsationen im Unterleibe von Dr. J. A. Albers. Bremen 1805.

me videbatur accommodata ideoque, paucis mutatis, hanc ipsam retinui et pulsationem abdominis sequentibus tribus capitibus tractare institui:

Cap. I. De pulsatione abdominis, qua symptomate morborum cordis et vasorum.

Cap. II. De pulsatione abdominis qua symptomate tumorum abdominalium vel in diaphragmate obviatorum, aortam vel alias arterias prementium.

Cap. III. De pulsatione abdominis qua symptomate morbose auctae actionis singularum systematis vasorum in abdomine partium.

Denique definitionem pulsationis abdominalis hic subjungendam esse censeo:

Pulsatio abdominis est ictus cordis, venae cavae vel plerumque arteriae cujusdam, mediate aut immediate sub diaphragmate perceptibilis, qui quacunq[ue] de causa oriatur, statum abnormem indicat et quandoque ab aegroto solo, interdum a medico examinante, nonnunquam vero ab ambobus observatur.

Caput I.

Pulsatio abdominis qua symptoma morborum cordis et vasorum.

Pulsatio abdominis, hoc e fonte orta, rarius quidem observatur quam ob constantem nostram in regione pulsationem existimari possit. Attamen

tum apud antiquiores tum recentiores medicos casus literis prodicti reperiuntur, qui vel sectione instituta vel ob symptomata, hocce malum concomitantia, memoratu dignissima apparent.

Quod morbos cordis atinet, hi mutationes organicas sequentes exhibent: 4).

A. Coalescentiam pericardii cum corde.

B. Nimum cordis incrementum, praesertim dextrae partis.

C. Dilatationem dextrae auriculae, item dilatationem aperturae communicativae atrii venarum cavarum cum ventriculo arteriae pulmonalis.

A. Coalescentia pericardii cum corde.

Si cor cum pericardio firmiter coaluit, hocce durante ventriculorum systole in plicae contrahatur necesse est, indeque fit ut basi sua lata, versus inferiora cum diaphragmate conjuncta, illud adeoque etiam jecur, illi affixum, in altum ducat. Quodsi e contrario diastole apparet ac ventriculi extenduntur, diaphragma et jecur rursus demitti consentaneum est, istumque motum manus explorans in regione epigastrica ceu pulsationem percepit 5). Cum igitur pericardium plus minusve firmiter cum corde coaluit, adeoque diaphragma simul cum jecure plus minusve attollitur hinc etiam major minorve pulsationis intensio se-

4) Kreysig Herzkrankh. Th. I. p. 311.

5) Barnes Herzkrankh. p. 301.

quitur. Burns ⁶⁾ ita eam vidit vehementem, ut extrinsecus conspiceretur,

B. Cordis incrementum.

Pulsatio abdominis porro symptoma est cordis volumine aucti et condensati, qua ex re ponderis naturalis ac normalis accessio necessario oriri debet. Hoc in primis de dextra cordis parte dicendum, quia tum diaphragma a cordis pondere magis premitur et hoc quasi diaphragmati infigitur, immo istud ipsum vel sinistrorsum ex parte altius deprimit ⁷⁾. Pulsationem intensam maxime percipies si digitorum apices profunde sub costas spurias demittas adeoque probabiliter cor ipsum targas, quare aegroti sensus quidam anxietatis concitatur.

C. Dilatatio auriculæ dextræ et aperturæ communicativæ atrii veparum cavarum cum ventriculo arteriæ pulmonalis.

Pulsatio hac ex causâ rarissime occurrit, narrat tamen Burns ⁸⁾ casum hujus generis valde memorabilem: Elisabetha Brown, annos XIX. nata, parum validæ semper constitutionis, fre-

⁶⁾ l. c.

⁷⁾ Kreysig l. c. 311.

⁸⁾ Hershkrankh, p. 53.

quentibus animi deliquiis pectorisque molestiis obnoxia erat. In vitæ suæ binis ultimis annis multum laborabat abnormi cordis actione ac molestiis hydropicis, quæ postremo sic invaluerunt, ut corpus jam dirumpi videretur. Hæc in morbi periodo sæpius, præsertim præviis corporis motionibus, sepsum quendam ingratum ac pulsatorium in regione epigastrica accusavit. Instituta exploratione, nihil quidem præter motum undulatum eumque lenem, propter abdomen valde tensum, sentiebatur, evacuato autem per paracentesin, qua tegumenta abdominalia relaxabantur, abdomine, pulsatio manifesta tumoris cujusdam eodem cum cordis palpitatione tempore observabatur. Aegrotæ de injucundo hujus tumoris motu magis quam de alia quacunque molestia conquesta est, et versus extremum vitæ tempus incommoda hæc sensatio increcebat potius quam decrescebat. Paracentesi sæpius repetita, mortua est, nullam omnino, quoad malum cordis primum, mutationem experta.

Per sectionem, aperto pectoris cavo in hoc et intra pericardium paulum aliquid serosi fluidi inveniebatur, quod tamen hæc et illic paucas tantum uncias explebat. Quamvis copia fluidi, in pericardio reperti, minima esset, quam maxime tamen erat extensum, omnem interiorem cavi pectoris partem occupabat et multum ad regionem usque epigastricam excurrebat, postquam diaphragma versus inferiora depresserat. Cum cor, aperto pericardio, plane esset nudatum, modo quidam valde dissimili dilatatum inveniebatur. Dextra cordis pars multo majorem, sinistra vero justo minorem ambitum ostendebat,

Dextrum cordis atrium caput infantis unius anni omnino aequabat, atque coagulati sanguinis aeris erat repletum. Ventriculus cordis (ventriculus arteriae pulmonalis) ejusdem lateris minor potius quam in statu normali apparebat; venae caevae admodum erant dilatatae, ita quidem, ut in inferiorem saeis commode quatuor digiti potuerint infigi. Apertura e sacco venarum cavarum in ventriculum pulmonalem ducens eundem quem inferior vena cava exhibebat ambitum, valvula porro tricuspidalis rigida erat nonnullisque in locis ossificata. Valvulae in origine arteriae pulmonales sanae erant et vas ipsam propria gaudebat capacitate.

Atrium sinistrum (saccus venae pulmonalis) admodum erat exiguum, externa vero ejus structura normalis; aortae ventriculus itidem parvus erat, sed pro ratione crassior ac firmior quam alias. Per os, ex sacco venae pulmonalis in aortae ventriculum ducens, ex annulo hoc, os cingente, rigidum porrigebatur et tendinosum septum, nonnullis locis ossificatum, cujusque in medio apertura quaedam, rugis circumdata, conspiciebatur, ejus exacte magnitudinis, ut apex digiti minimi per eam transire posset. Aorta in origine ac toto suo decursu ita erat angusta ut ambitu digitorum minimum non superaret, et adhuc fere angustiores erant rami, ex ea exeuntes.

Pulsatio abdominalis hoc in casu non inepte quidem sic explicari posse videtur: Vena cava inferior ob magnum volumen, cavarum venarum sacco plus sanguinis advehebat, quam ventriculus arteriae pulmonalis capere posset; hac re plethora sanguinis oriebatur, quam sensim dilatatio sacci

venarum cavarum sequi debuit. Cum hic igitur semper impedimentum mechanicum ob angustiam dextri cordis ventriculi ac disproportionem sanguinis in atrio dextro et ventriculo cordis locum haberet, necessario etiam per systolen ac diastolen vis quaedam in congestam sanguinis massam, quae sacco venarum cavarum inerat, reagebat, sic vere repercussio quaedam in venam cavam inferiorem contingere debuit, e qua pulsatio abdominis nascebatur, quae forsitan per jecur ad partem anticam propulsum, manui exploranti erat perceptibilis.

Kreysig ⁹⁾ alium adhuc casum memorat, ubi peculiaris quaedam conformatio pulsationi abdominis causa suberat. Idem casum in commentariis Academiae Josephinae Vindobonensis descriptum laudat, ubi vena cava inferior in dextrum cordis ventriculum se inseruerat, quare vehementis pulsatio in regione epigastrica oriebatur.

A consilio non duco alienum, sequentem casum, multas mutationes in corde et vasis majoribus continentem, hoc loco in medium proferre: „Anno 1629 apertum fuit corpus cujusdam „Bataviensis, qui per tres annos languerat miro „ac incognito affectu. Nam si super umbilicum „aut circiter, quis manum imposuisset, pulsus „qualis cordis ac arteriarum, tam vehemens sentiebatur, instar salientis infantis in matris utero,

9) Herzbrankh. Th. I. p. 311.

10) Jacobi Bonii de medicina Indorum Lib. VI. Observat. VIII. in Bonet. Sepulchret. Lib. III. Sectio XIV. Observat. L.

„quae jam partui vicina est, ita ut manum elevando repelleret. Aequalem fuisse hunc pulsum cum arteriarum et cordis hoc modo deprehendi. Sinistram umbilico aegri imposui, dextra arteriam circa carpum tetigi, invenique in systoles et diastoles intervallo plane convenire, unde ego statim conjeci arteriam magnam laborare, quod et post mortem invenimus. — Nam vena cava repleta erat, loco sanguinis, adiposa materia, ac medullae spinali admodum simili, quae pondere suo arteriae magnae incumbens, dum illa contra istud onus a se rejicere conaretur, hunc pulsum excitabat. Cor etiam solito majus inventum est ac flaccidius et spongiarum modo comprimebatur, tum uterque ejus ventriculus amplior ac etiam sanguine isto nigro repletus. Quis vitam potuisse ducere? Jecur erat vividi coloris, ac consistentiae nisi quod communem mensuram ferme duplo excederet. Cystis, qua bilis continetur, etiam bovinam magnitudine aequabat, eratque intus reperta cholera ex nigro viridis, lenta ac tenax, crassitudine syrapi crassioris, aut potius extracti.“ — Quamvis modo narrata morbi historia, cum, sectionis ope, vitium organicum vasis cujusdam etc. ostendat, hic suo loco inserta sit, ob pressionem tamen quam pondere suo in aortam exercebat quod adeo momentum quoddam causale ad pulsationem abdominis constitutebat, et ad Caput II. pertinere videtur, ubi uberius res exponetur.

Morbi arteriarum, qui, cum affectiones organicae, pulsationem abdominis qua symptoma excitant, aneurysmata tantum sunt vel aortae ip-

sius, vel saepius adhuc arteriae coeliacae vel cujusdam ejus ramorum. Neque tamen hujus generis vitia tam saepe occurrunt quam quis existimaverit, atque Kreysig ¹¹⁾ iterum monet in ipsa tali pulsatione probabilitatem praesentis cujusdam aneurysmatis ratione inversa cum gradu ejusdem violentiae reperiri, rationem potius pulsationis in corporibus aortam prementibus positam esse, qua de re proximo capite disseretur. Duas, quae sequuntur morborum historias, documentorum instar, hic adjungere juvat:

Burggrafe ¹²⁾ narrat, juvenem quendam 22 annorum, mediae staturae, cujus corpus macrum ceteroquin satis robustum, capilli fusci fuerint, dolore quodam in scrobiculo cordis cum manifesta pulsatione quasi arteriae cujusdam laborasse. Scribendo vitam sustentabat. Ante menses circiter 18 molestias in regione epigastrica conqueri incipiebat, neque tamen perspicue distinguere poterat, num dolor in ipso ventriculo vel in pectore sedem fixerit. Qua locum doloris scrobiculum cordis designabat. Talis erat ejus sensus, qualis in ulcere esse solet. Huic alius associabatur circa papillam pectoralem sinistram ad extremam costam spuriam diffusus, quod praecipue accidebat post cibum captum prono corpore, pungens tum dolor erat sed non semper pari sentiebatur vehementia. Simul aegrotus in scrobiculo

11) l. c. p. 310.

12) Dr. Johan. Philipp Burggrafe auserlesene medicinische Fälle und Gutachten. Frankf. a. M. 1784 p. 300.

cordis pulsum percipiebat, statu jejuno haud adeo vehementem, post epulas vero nunquam non incrementem. Hypochondria et scrobiculus cordis ceteroquin mollia erant, neque dolebant. Plerumque ciborum appetentia haud deerat, non diu post coenam vero aeger ventriculi dolore sentiebat vehementem ac pressorium cum ructu vehementi conjunctum, qui post vini usum acidum spargebat odorem. Quandoque appetitus omnino deficiebat ac praeterita hieme tam pertinaci laborarat obstructione intestinali, ut tertio quoque aut quarto die tantummodo alvum dejiceret ideoque quam saepissime radicem Rhei cum carnis jusculo sumeret. Somnus bonus erat et respiratio libera, pulsus post cibum captum interdum paulum febricitans, eo tempore autem quo Burggrafe eum vidit naturae conveniens. Urina non admodum apparebat tincta, sed magis pallida eaque quae mane mittebatur sine omni coctione. In parte inferiori dorsi inde ex aliquot diebus dolores percipiebat. Multorum huc usque medicorum auxilia adhibuerat quorum tamen irrita fuerat opera. Medici in urbe Montis Pessulani, cum quibus haec morbi historia communicabatur dolores in regione pectoris et cordis rheumaticos judicabant, pulsationem vero symptoma aneurysmatis in ventriculi vicinia, vel etiam in parte remotiori, cujus pulsatio ad regionem usque ventriculi excurreret. Eandem sententiam profitebantur medici Lugdunenses, qui itidem hac de re in consultationem venerant. — Quamvis haud pauci medici variisque locis degentes de casu memorato eandem foverint opinionem neque dubitaverint, illam pulsationem pro symptomate

aneurysmatis habere; — omnes tamen magnopere errasse credo, cum vitium dynamicum cum organico permutaverint. Ex mea sententia, aegrotus plethora abdominali afficiebatur, quae tanquam causa pulsationis abdominalis est consideranda, cui rei et consuetum negotium et plura alia symptomata patrocinantur. Conferat. Cap. III.

Casus, quem nunc afferam magis forsitan pulsationem abdominalem tanquam sequelam aneurysmatis explanabit.

Albers ¹⁵⁾ haec narrat: Nauta quidem Bremensis robustae constitutionis per sex hebdomades continuis doloribus in hypochondrio sinistro, praesertim media nocte intensissimis, afficiebatur; simul tam vehementibus laborabat aliis obstipationibus, ut remedia purgativa valde drastica vix ac ne semel quidem faecibus eum liberarent. Post aliquot hebdomades accedebant etiam dolores in dorso, et in abdomine sensum quandam accusabat quasi aliquid in corpore ab uno latere ad alterum moveretur, tum vero ad collum usque adtolleretur, quo facto vomitio materiae cujusdam herbacei coloris sequebatur; simul pulsationem sentiebat, satis distinctam, quam pro corde habebat quaeque per totum morbi decursum non cessabat. Pulsus in manu normalis erat et cum pulsu in abdomine eodem advertebatur tempore. Inde a morbi initio prono corpore considerare coactus erat, quoniam qualiscunque alius situs intole-

15) Ueber Pulsationen im Unterleibe von Dr. J. A. Albers, Bremen 1803 p. 48.

rabiles excitabat dolores. Primis morbi hebdomadibus alvi dejectiones tantum ei levaminis afferebant, ut postea quandoque per sex ad octo horas dolores non perciperet. Morbo aliquantum temporis protracto, in sinistro hypochondrio tumorem quendam rotundum animadvertibat, qui ad umbilicum usque excurrebat. Parvo ac vix credibili temporis intervallo ad magnitudinem capitis infantilis excrescebat, quem tumorem satis perspicue ab umbilico ad dextrum latus usque oculis persequi licebat. Per alvi dejectionem materia quaedam picci coloris aut ruber sanguis ac materia quaedam, puri similis, evacuabatur, simul idem mox sanguinem e rubro candicantem mox fuscum et coagulatum sanguinem ac bilem evomit. Aegrotus continua vexabatur febre, emacescebat ita ut skeleti speciem referret, hocque modo denique horrendo huic morbo succumbebant. Instituta sectione Dr. Albers in medio mesenterii tumorem reperiebat, cujus parenchyma peculiaris ac vix comparandae erat indolis, atque ambitum sedecim pollicum Paris. aequabat. Ventriculus sanguine coagulato erat repletus, lien, pancreas et jecur sana, vesica fellea e contraria enormiter magna et veram, crassam ac tenacem, bilem continebat. Arteria coeliaca, coronario ventriculi et mesenterica (probabiliter) superior mirifice erant dilatatae et nigri sanguinis plenae. Verisimiliter ex his arteriis aneurysmaticis una vel altera erat vas sanguiferum, quod hanc pulsationem effecerat.

Capitulum II.

Pulsatio abdominis qua symptomata tumorum in abdomine vel in diaphragmate aortam seu alias arterias prementium.

Pulsatio abdominalis qua causa pressiois ejusmodi tumorum in arteriam quandam jam frequentior est illa, quae sequelam mutationem organicarum prae se fert. Cum arteria quaedam a tumore, qualiscunque sit generis, contegitur, pulsus fortior majorque videtur quam revera est. John Hunter ¹⁴⁾ affirmat: „Quamdiu arteria contegitur, effectus visibilis major apparet quam revera est. Quodsi tegumenta externa alicujus arteriae in animali vivo separantur, pulsationem semper debiliorem fieri quo propius ad arteriam acceditur, animadvertimus, arteria vero plane nudata, motus nequaquam fere nec sentiari nec videri potest.“ Ratio hujus rei legibus continetur; quae pulsuum corporum elasticorum constituunt. Ne, verum esse quod modo proposui, in dubium possit vocari, factum quoddam afferam cui testis interfui. Nosocomium urbis cujusdam Germanicae puer rusticus 12 circiter annorum adiit, de tumore in collo dextri lateris setti-

14) John Hunters Versuch über das Blut, die Entzündung etc. a. d. Engl. von Hebenstreit. Leipzig 1797 B. I. p. 327.

per pulsante conquerens. Tumor a Professore quodam ejus urbis explorabatur, qui cum multis praesentibus eum aneurysma verum, circumscriptum judicavit, ad cujus sanationem ligatura carotidis esset instituenda. Attamen saepius et curatius puero explorato, patebat, tumorem nihil aliud esse quam glandulam tumidam et pulsationem illico insigniter minui, si glandula suo loco moveretur statim vero cum priore intensione apparere, si glandula pristinum suum locum in carotide occuparet. — Tumores aortam tantum aut coeliacam vel quendam ejus ramorum prementes eoque modo pulsationem abdominis adducunt:

A. Indurationes (Pseudoscirrhi) in pyloro.

Burns 15) sequentem casum memorabilem et huc pertinentem refert: Vetula quaedam annorum 80 et quod excurrit, quae per maximam vitae suae partem optime se habuerat, tres circiter menses antequam Burns eam conveniret, doloribus in scrobiculo cordis, ab eo inde tempore perdurantibus, correpta fuerat, praeterea in ultimis sex hebdomadibus pulsationem quandam valde molestantam, in regione epigastrica apparentem, observaverat. Locum pulsantem explorando, Burns ibi omnino, ubi regio epigastrica umbilicali adjacet, perspicue tumorem pulsantem, circumscriptum percipiebat, cujus pulsatio cum pulsu

15) Herzkrankh. p. 309.

arteriarum simultanea erat. Manu imposita, pulsatio leviter tantum sentiebatur, si aegrota quocunque loco corporis premeretur, dolores conqueratur; neque ullo in latere commode potuit decumbere. Pulsus ejus septuaginta ictus aequalis roboris exhibebat, tractus intestinalis functionibus suis segniter admodum praecerat, quandoque etiam insultus vertiginis aegrotam invadebant. Burns fatetur, se, quamvis tumorem hunc neutquam pro aneurysmate habuerit, non tamen ausum esse de vera ejus natura definiti aliquid pronuntiare. Chirurgus quidam, qui istum tumorem serius examinaverat definite omnino eum aneurysma esse judicaverat. Serius adhuc aegrota a duobus aliis medicis explorabatur, opinantibus, tumorem non quidem esse aneurysmaticum, qui tamen de vera ejus natura certi quid pronuntiare itidem recusarunt, donec tandem unus ex iis, cui premento tumorem videbatur ac si flatus in eodem moverentur, in eam adductus est suspitionem, illum ex scirrho pylori originem trahere. — E cadaveris obductione, paucas post hebdomades facta, patebat: tumorem nihil aliud esse quam pylori extumescitiam et scirrhum capitis pancreatici. Jam intelligebatur, ejusdem pulsationem e sanguine, in eam aortae partem, cum qua tumor cohaerebat, erumpente, ortam fuisse. Haec ipsa aortae pars morbosa inveniebatur; naturalis membranae ejus fibrosae textura mutata erat et pluribus in locis crassas squamas substantiae continebat osseae. Hanc ipsam ob causam etiam spatio nonnullorum pollicum in sanguinem, in ea contentum, reagere non poterat. Locus morbosus jam arteriam non amplius referebat;

dilatatio ejus tantummodo per irruptionem sanguinis, ex superiori eaque sana vasis parte in eam penetrantis contingebat pulsationemque produxit eadem ratione, qua effluviū sanguinis e dilatato venarum cavarum atrio in venam cavam inferiorem motum undulatum jecuris efficit. Alioquin hoc in casu omnia reliqua symptomata deficiebant, quibus scirrhus pylori agnoscitur.

B. Indurationes in pancreate.

Hac de re Antonius Störck ¹⁶⁾ sequentia narrat: „Femina, 28 annorum, sana alias, et admodum robusta, eo tempore, quibus menses „fluebant, praeter causam sibi cognitam, vomitu „violentiſſimo corripiebatur, et mox fluxus men- „struus retentus est, et oriebatur summa pectoris „angustia, extrema frigebant et cor inordinato „motu et palpitatione agitata fuit. Applicaba- „tur illico enema et larga venaesectio est instituta „et data sunt medicamenta, quae vomitum vio- „lentum compescerent. Sub initium haec nihil „profuerunt, postea vero sequebatur summa viri- „um prostratio et aegra cepit dormire. Post som- „num multo melius se habuit, ad rogata respon- „dit, et oblata commode deglutivit nec ea vomitu „rejecit. Verum tamen mansit anxietas circa „praecordia et cor valide palpitavit. Sanguis „menstruus non amplius comparuit. Sensim ta-

„men omnia symptomata fiebant mitiora, et vires „redierunt et aegra extra lectum leni ambulatione „ne potuit corpus movere. Fortior autem motus „illico induxit extremorum frigus, anxietates et „animi deliquium. Ad fundum ventriculi percipiebatur continua pulsatio quae cordis „motui correspondebat. Ab assumtis plerumque „orta est magna anxietas cordisque palpitatio. „Varia remedia ab optimis medicis praescripta nil „juverunt. Altero mense, quo sanguis ex utero „iterum prodire debuisset, nil comparuit, licet „circa os sacrum et ad inguina ortus sit magnus „dolor. Tunc autem temporis pulsatio in epigastrio erat longe violentior, anxietas major, et „tactu poterat percipi infra ventriculum quidam „tumor retinens, pulsans. Venaesectio tunc in „brachio celebrata magnum levamen adtulit et „aegra per tres septimanas iterum extra lectum fuit, „ambulavit et cibos citra magnas supervenientes anxietates assumsit, tulit. Postea malum iterum auctum est, tumor pulsans erat multum major, vires debiles, aegra stando vel ambulando „ingratum et anxium pondus in epigastrio sensit, „quod minus molestum erat dum aegra erecto, et „in anteriora inclinato trunco in lectu sederet. „Nullum jam remedium superesse videbatur, unde „aegra ad nosocomium transmissa est. Inveni „hypocondria, et totum epigastrium durum, „pulsus erat inaequalis et alvus non prodiit, „nisi enema injiceretur. Noctes fuerunt plerumque insomnes. Dedi pro medicamento roborans Sambuci admodum copiosum, cujus unciis quatuor addita est una drachma salis Polychrestii, pro potu ordinario exhibui serum lactis, vel

16) Antonii Störck, Annus medicus secundus. Lugduni Batavorum 1761. Cadaver VI. p. 160.

„emulsum ex quatuor seminibus frigidis, et qua-
 „libet vespera remedium opiatum. His alyus
 „reddebatur libera, tensio hypochondriorum re-
 „misit, et noctes fuerunt magis quietae. Aegra
 „cepit appetere et cibos sine molestia ferre, re-
 „dierunt vires, et vix ullae cordis palpitationes
 „amplius observatae sunt, pulsus erat magis ae-
 „qualis. Per tres menses et dimidium aegram
 „hac ratione conservavi, et subinde tumor in
 „epigastrio minor molliorque tactu percipiebatur.
 „Postea vero aegra subito debilitata est, accesse-
 „runt vomitus aeruginosi, et alvi fluxiones bilio-
 „sae, acres; tumor subito increvit, nec ullum
 „medicamentum quid levaminis adtulit, unde
 „intra paucum tempus aderat summa macies, ex-
 „tremorum frigus, mors. — Omentum, ventri-
 „culus, intestina erant e suis locis emota et com-
 „pressa. Pancreas autem mole admodum mag-
 „num et adeo grave, ut tredecim libras civiles
 „pondere excesserit. Sectione detegebatur, id in
 „saccum esse extensum, qui plenus erat sanguine
 „partim grumoso, partim adeo coagulato, et
 „membranaceo, ut in lamellas potuerit separari.
 „An violento vomitu arteria in medio pancreate
 „rupta continuo fudit sanguinem, et sensim pan-
 „creatis substantiam in saccum distendit, et tanto
 „molli tumorem produxit? —

C. Pulsatio qua sequela loci alicujus
 dilatati et ambobus finibus coar-
 ctae intestini cujusdam.

Qua de re de Haen ¹⁷⁾ sequentem nobis-

17) Antonii de Haen pars nona ratio medendi. Vi-
 ennae Austriae 1764 Caput. I. p. 43.

cum communicat morbi historiam: „Matrona
 „annorum 59 me in consilium vocat ineunte
 „Aprili 1763 cum suis medicis, expertissimis viris
 „Hirsch et Prosky. Haec pluribus annis in Hun-
 „garia metallurgorum vaporibus exposita, pecto-
 „re angi ac tussire vehementerque debilitari coe-
 „perat. Viennae nunc incola, a mense Januario
 „haud ultra potuerat carpento vehi, imo ne vix
 „quidem extra lectum sedere. Ex eodemque
 „tempore, praeter pectoris affectuum augmentum
 „natum sibi tumorem ajebat in infima, eaque
 „sinistra epigastrii regione, haud procul ab um-
 „bilico, qui cum doleret violenter, tum moleste
 „pulsaret. Pulsus in carpo debilissimus. Utique
 „internum quoddam aneurysma esse videbatur,
 „cujus in viva vix esset determinanda sedes. Post
 „querelas molestae hujus pulsationis, trium men-
 „sium spatio continuatis, mortua est. — Ca-
 „daver i Maji aperuimus. Pulmones quovis in
 „loco tuberculis suppurantibus pleni, hinc inde
 „duri, plurimumque cum pleura connati. Toto
 „vero in corpore ut ut anxie quaerebamus, in
 „musculis abdominis, in omento, in mesenterio,
 „in mesocolo, in lumbis, ad spinam, ad aortam,
 „venamve cavam, nulla vitia deprehendimus,
 „praeterquam in loco dolente olim ac pulsante.
 „Nihil minus tamen quam aneurisma erat. Scili-
 „cet colon in indicata epigastrii parte, longitudine
 „lactorum digitorum quatuor, diametrum habebat
 „aesqui pollicis, cui amplificatae portioni tanta
 „utrinque aderat constringens angustia, ut aer,
 „non nisi vi, per eandem impelli expellique pos-
 „set. — Pulsatio hic sine dubio inde orta est,
 quod haec intestini portio, in medio extensa et

ambobus lateribus arcte contracta, arteriam quandam tumoris instar comprimebat eoque pulsum ejus in speciem augebat, quod tanquam pulsatio percipiebatur, quae per intestinum valde elasticum insigniter adhuc intendebatur.

D. Pulsatio abdominalis qua sequela induratarum glandularum mesenterii.

Pulsatio hac e causa oriunda, cum morbus scrophulosus latius semper diffundatur, saepius profecto occurrit, crebro vero negligitur, quia aegroti hoc de symptomate minus conqueruntur. Sequentes morborum historiae his probandis inservient: Taberranus ¹⁸⁾ in regione epigastrica cujusdam hominis non solum pulsationem, sed et tumorem, pugnam magnitudine aequantem, cum omnibus reliquis aneurysmatis signis, percipiebat. Valde mirum igitur ei videbatur, cum in cadaveris sectione loco aneurysmatis tumorem magnum, scirrhosum in medio mesenterii reperiret, qui tam firmiter cum vasis majoribus conjunctus erat, ut sortam comprimeret, simul ac per pulsationem suam in altum tollebatur.

Schaak, scribe in praedio quodam Livono, mense Januario h, a, ob pectoris affectionem ab instituto clinico hujus literarum Universitatis auxilium expetebat, Annos 33 natus erat, infirmas

constitutionis, qui juvenis multum scrophulis laboraverat, imo habitus scrophulosus vel nunc perspicue in eo adverti poterat. Simul pulsatio abdominalis inter diaphragma et umbilicum observabatur, quae vero aegroti non admodum erat molesta. Indicabat symptomata mali pulmonalis (phthiseos exulceratae) e quibus tuberculorum formationem probabiliter conjicere licuit, quorum nonnulla serius in suppurationem transierant. Succubuit tandem ultimis m. Martii diebus morbo suo pulmonali, nec tamen pulsatio illa abdominalis postremo tempore increverat, quamvis etiam imminuta non fuerit. Cum corpus valde esset emaciatum, plures ante sectionem institutam in regione inter scrobiculum cordis et umbilicum tumorem quendam sentire putabant, quod postea etiam re ipsa confirmatum est. Examinabantur pulmones atque in his plures inveniebantur vomicae, cor vero omnino sanum erat. In memorata illa abdominis regione inter scrobiculum cordis et umbilicum uti et in toto utique abdomine tuberculosae detegebantur glandulae, quarum aliae nigrum, aliae rubrum colorem referebant, nonnullae vero in suppurationem transire incipiebant. Circa arteriam coeliacam autem ille reperiebatur tumor in glandularum fasciculo, qui intense satis intumuerat, et, cum haec arteriam coronae instar cingeret, volumen ejus paulum comprimebat. — Vas pulsans certe fuit haec arteria coeliaca, quae eo manui exploranti perceptibilis erat, quod illae glandulae eam contegebant et sic pulsationem fictam augebant. Profecto etiam irrumpens sanguinis versus

18) Observation. Anat. Edit. 2. n. IX.

locum coarctatum unda ad percipiendam pulsationem contulit.

Kreysig memorabilem pulsationis abdominalis casum refert, ubi causae suberant indurationes glandularum in mesenterio, simul etiam locomotio per tensionem mesenterii: „uxor liberi „Baronis de Sch.... 21 annos nata, mense Aug. „1804 consilium meum (sic narrat Kreysig 19) „ob vehementes affectiones expetebat, quas duorum annorum spatio pertulerat. Medici ejus meae curae eam commendabant qua aegrotam, quae forte aneurysmate in arteria quadam sub diaphragmate laboraret. Morbus ei mox post magnam corporis contentionem orta erat; duobus quippe annis ante nuptiarum suarum die, patrem, morbo gravi et mortifero affectum, in lecto subtulerat et hac in virium intentione statim sub scrobiculo cordis profunde versus spinam dorsi vehementem dolorem, cum strepitu, qui exaudiri poterat, conjunctum, senserat, quasi quidquam revelleretur. Ab hoc temporis momento morbosa ejus fuit conditio, cum antea sana ac bene nutrita fuisset. Affectiones ejus praecipuae fuerunt sensus quidam languidus in ventriculo, nausea, propensio ad animi deliquia, praesertim stando conspicua, ac molestae, anxietas et vix describendae sensationes sub cordis scrobiculo. Per tres anni quadrantes prograda eam habuerant atque tractaverant medici, qua re vel magis debilitata fuerat. Egomet eam hocce inveni statu: vix per horae minutum pedibus stare potuit, quin dolenter tensionem

„quandam, pressuram inde a columna spinali „versus ventriculum et appropinquantem animi „defectum perciperet; non magis ambulare poterat nec, nisi regionem ventriculi panno constringisset, hoc ei licuit; si vero ambulationem per dimidium fere horam continuaverat, aliquid in scrobiculo cordis protrudi sensit, diuque jam animadverterat, nullum aliud remedium opem ei adferre quam situm protensum in lecto et in dorso. Hoc modo cruciatus anxietatis, nauseae et trepidi doloris horis circiter 24, — 36 remittebant ac tumor evanescebat, nunquam etiam multum uno tenore comedere potuit. Abdomen examinando, hoc satis vastum reperi, quamvis corpore valde erat emaciata, itidem vehementem pulsationem inde a scrobiculo cordis usque ad umbilicum observavi. Nihil vero insigniter praeter naturale quam exactissima exploratione detegi potuit. Pulsus communiter erat debilis, sed regularis, ita etiam cordis palpitatio, praesentibus vero insultibus, valde contracta et paulum frequentior, pulsatio autem eadem manebat. Menstruatio semper nimis apparebat mature, intertinorum excretiones tamen satis convenienter procedebant; in cibo sumendo tantummodo ad salubritatis praecepta minime se attemperabat, comedeat enim quoties ob morbum fieri potuit, sine omni adhibito delectu. Nullum aneurysma adesse, statim mihi patuit, sed symptomata angoris cum proclivitate ad vomitionem de dislocatione partium internarum cogitare sinebant. Per levem diaetam ac remedia laxantia lenia abdomen solvere tentabam,

19) l. c. p. 315.

„ut eo melius quid rei esset explorarem hasque
 „explorationes in omni corporis positu institui;
 „animo mihi informabam, adesse posse ruptionem
 „ventriculi vel aliam quandam loci mutationem
 „partium internarum, nec tamen omnes circum-
 „stantias comparando ipsi mihi satisfacere visus
 „sum. Mox singulos glandularum tu-
 „mores variae magnitudinis in abdomine dete-
 „gebam, denique etiam satis manifeste ejus-
 „modi in profunditate versus spinam vertebralem;
 „reperiebam vero eos fluctuantes et apicibus di-
 „gitorum meorum persequentibus elabentes. Quod
 „cum detexissem, in cogitationem incidi, hos
 „tumores scrophulosae esse originis et ante mor-
 „bum forte jam adfuisse, porro retento, cum pa-
 „trem attollere contenderet, spiritu, vehementem
 „pressionem horum tumorum et extensionem me-
 „socoli contigisse, symptomata vero ventriculi ita
 „mihi explicabam, ut praesumerem, eum per
 „hos tumores, quorum ligamentum laxius esset
 „redditum, revera ad anteriora propulsum fuisse.“
 Jam Kreysig quam aptissime tegumenta abdominis
 jussit suffulcire et curam suam eo dirigebat ut fasci-
 culos glandularum resolveret. Sic cura per
 totam hiemem cum balneis juncta sine intermissione
 continuabatur, Aegrotata quidem veris tempore
 vel magis erat confecta et emaciata, sed ita le-
 vata, ut per horae spatium sine omni noxa ambu-
 lare potuerit adeoque parvulum montem conscen-
 dere ausa fuerit. Nunc etiam thermas Carolinas
 adhibuit ac multo magis levata rediit; jam Livo-
 niam repetiit et tribus mensibus exactis Kreysig
 certior factus est, eam gravidam esse postea vero

comperit eam feliciter partum edidisse et omnino
convalescere.

Dum haec scribo, in nosocomio hujus lite-
 rarum Universitatis mulier quaedam adest, pul-
 satione abdominali affecta, quam probabiliter
 glandulae mesenterii induratae pressione sua in
 quandam arteriam progenuerunt. — Maria com-
 pellatur; annum agit 33, ex octo annis matrimo-
 nio est juncta, sed liberis carens. Reminiscitur,
 se octavo vitae suae anno e loco quodam edito de-
 cidisse, et inde ab hoc tempore de incommoda
 valetudine conquesta est. Cum pubertatis perio-
 dum attigisset, (annum, quo hoc accidit indicare
 non potuit) menstruatio tenuiter tantum ac mag-
 nis cum doloribus apparebat. Haec quidem po-
 stea quarta quamvis hebdomade maximam par-
 tem normaliter aderat, sed semper parca et maxi-
 me dolorifica; eodem modo se habebat mensura-
 tio, cum viro nupsisset. Autumnali anni praeced-
 entis et quidem messis tempore morbum suum
 increvisse narrabat, aiebat porro, se statu erecto
 animi deliquis doloribusque in abdomine tenta-
 tam fuisse, ita ut saepe decumbendi necessitate
 urgeretur, ut paulum virium colligeret; ante
 hoc tempus vero se minus tantum commoda vale-
 tudine usam fuisse neque tamen habuisse quod
 definite quereretur, cum vero malum augetur,
 menstruationem per tres menses cessasse, serius
 autem eandem cum symptomatibus memoratis par-
 ce iterum apparuisse. — Externa abdominis ex-
 ploratione patuit, in toto sinistro latere, praeser-
 tim versus inferiora, tumores subduros, huc et
 illuc sine magno dolore protrudendos, aegrotatae
 valde molestos esse. Simul tumor durus, ob-

longus, pulsans percipitur, quem inde a regione epigastrica paulum ad sinistram lineae albae usque infra umbilicum persequi licet, quique ad sinistram et dextram, minus tamen intensus, continuatur. Ceteroquin status hystericus in ea satis perspicue observatur; mōrosa est, lacrymas sine causa fundit, multa loquitur et vel nunc ut prius (aliquando, ut doloribus liberaretur, Mercurium vivum deglutierat) medicamentis impleri et emplastris contegi cupit. — Exploratio per vaginam ostendebat portionem vaginalem unum pollicem longam, intumescentem ac satis duram, neque tamen tactu dolentem; alioquin nulla mutatio percipitur. — Quaeritur, quid illi tumores subduri sint et an cum pulsatione abdominali cohaereant, quare ratione ad eam sint referendi? Mulier statura brevis est et macilenta, verosimiliter priori tempore scrophulosa fuit; jam quaeritur, numine hi tumores memorati glandulae fuerint mesenteriales, chronice inflammatae, quae serius in indurationem scirrhosam transierint, nunc vero aortam abdominalem in toto suo decursu usque ad locum ubi in duas iliacas distinguitur atque has ipsas premant? Portionem vaginalem respicienti, et haec ob tumidam conditionem ac duritiem argumento inservire posset, adesse indurationem quandam internam scirrhosam. Vas pulsans aortam esse, e situ et ambitu pulsationis concludendum mihi videtur, qui inde perceptibilis nobis fit, quod glandularum fasciculi aortam contegunt et sic allatam jam Hunteri opinionem confirmant, secundum quam effectus arteriae in specimen major est quamdiu contegitur. Dolendum sane, quod aegrota tam parum sit in-

genio exulta, ut de iis quae praecesserunt per ejus anamnesin pauca vel nihil omnino competiri possit. Lapsus, quo octavo aetatis anno e loco edito decidit, eatenus, ni fallor, cum praesenti ejus conditione cohaeret, quod eam sensibiliorem, i. e. ad hysteriam proclivioram reddiderit, quare, uti saepissime in hystericis contingere solet, menstruationes perturbantur.

E. Pulsatio qua sequela indurationis lobulorum pulmonalium inferiorum.

Burns 20) peculiarem quandam casum, in muliere hysterica obvium, observabat, quae praecipue de tussi, dyspnoea et pulsatione in scrobiculo cordis querebatur. Haec pulsatio interdum tam erat vehemens, ut tegumenta evidenter attolleret, et sensum horrendum excitabat, si quis manum processui xiphoidae aegrotae imponeret. Qui nunquam antea casum quendum abnormis pulsationis viderit, Burns opinatur, hanc aegrotam explorando confestim definite pronuntiaturus fuisset, vel truncum ipsum vel unum e ramis coeliacae aeurysmaticum esse. Dyspnoea semper increscens et vexatio in pectore vitae aegrotantis finem imposuit. — Sectio a Russel, Brown et Burns instituebatur. Prius cor examinare propositum eis fuit, ut vero ad illud pervenirent, pulmones erant removendi, qui tam densum exhi-

20) l. c. p. 305.

bebant parenchyma ut, licet cum pleura non con-
creti, in aperiendo pectore non conciderent, sed
potius plane extensi (perfectly erect) manerent. Cum
inciderentur, massam parenchymatis eorum valde
auctam et bronchias ita compressas reperiabant,
ut paululum tantum aëris continerent. Praeterea
pulmones etiam ulterius et solito magis versus in-
feriora extendebantur, cum diaphragma depres-
serint. Cor et reliqua normale prorsus refere-
bant conditionem. — Pulsatio hic mediate per
cor accidebat. Pulmones elasticitatem suam ami-
serant, hepatis quasi naturam induerant et cor
jam systolen ac diastolen per pulmones inferiori
pectoris parti communicaverat, unde manus hanc
pulsationem perspicue in scrobiculo cordis sentire
potuit.

Eodem modo etiam pulsationis in regione
epigastrica ratio in tumoribus cysticis sub
diaphragmate posita esse potest, uti et in
quadam hepatis intumescencia, praeser-
tim si vena cava inferior et saccus venarum cava-
rum ita sunt dilatata, ut in aegrotis erant de qua
Burns ²¹⁾ refert. Refluus sanguis in venam ca-
vam ascendentem, cum atrium contraheretur,
convenientem venae hepaticae in hanc evacuatio-
nem inhibebat. Hinc hepar ipsum nimis reple-
tur ac nutritur, qua re istud intumescit. Jam he-
par per venam cavam fortiter extensam ad ante-
riora protrudi necesse est ac pulsatio venae cavae
ope hepatis intumescens propagatur, unde igitur
in regione epigastrica motio fluctuosa perci-
pitur.

²¹⁾ l. c. p. 34.

Certo sum persuasus, pulsationem abdomi-
nalem etiam in diaphragmate occurrere, si
ea tam intensa est ut per tumorem concomitantem
aorta in hiatus aortico comprimatur; attamen hac
de re observationibus sufficientibus caremus.

Caput III.

Pulsatio abdominis qua symptoma morbose auctae actionis singula- rum systematis vasorum in abdomine partium.

Pulsatio abdominis, hac ex dinamica causa
nata, tam frequenter occurrit, ut sine dubio no-
nae partis omnium pulsationum abdominalium
ratio in actione alienata systematis vasorum et
unius tantum in mutationibus organicis et mecha-
nicis quas superioribus capitibus tractavimus, sit
quaerenda.

Quaevis alienata systematis vasorum actio
per vim oritur, quae actio nervorum in illud ex-
serit. Haec morbose aucta vel alienata nervorum
actio vero in systemate irritabili qua spasmus ma-
nifestatur, adeoque abnormis systematis vasorum
actio unice spasmis continetur. Quodsi quis vas
quoddam nervis suis privaret, vehementissimi
stimuli galvanici nullam contractionem nec ex-
pansionem in eo producerent. Ceterum ex-
perimenta quibus probare nonnulli conabantur

cor ²¹⁾ adeoque etiam arterias nervis carere, jam dudum sunt refutata et controversia hac de re agitata conticuit. — Omnis musculorum actio modum excedens, qualem crebro in febribus paene synochicis, multo magis vero in mania, epilepsia etc. observamus, ex impulsu solummodo nervorum actionis in fibram irritabilem pendet. In omnibus vero corporis nostri partibus irritabilitas adest, diversa organismi multipliciter compositi organa minime separata juxta se invicem jacent, sed singulum reliqua incitat et ab iis incitatur, quodvis per reliqua constat; hinc vita efficitur, quae materiarum mutatione, ortu perpetuo et interitu continetur. Quodsi omnes organismi partes, quae conjunctae totum seu individuum efformant, rite inter se congruunt, sanitas advertitur, minima vero dissonantia et congruentiae defectus, morbo cuidam opportunitatem praebet eidemque manifestiori quo majus est dissidium. Nervi ea sunt organa, quae individuum quodvis cum rebus externis earumque impulsibus mutuo quasi commercio jungunt, adeoque etiam illud potentiis rerum externarum noxiis exponunt. Hac re igitur nervi vel modo primario i. e. per immediatam vim et efficientiam, ad id quod incorporatum, psychicum seu alio quocunque nomine appellamus mere referendam, e. g. per animi commotiones, vel modo secundo afficiuntur, cujus affectionis ratio

21) Job. Bern. Jac. Berends Dissert. qua demonstratur cor nervis carere. Magunt, 1792.

in reproductione est quaerenda. Haud perperam itaque affectio distingueretur, si primariam illam dynamicam, hanc secundariam vero materialis nomine insigniremus.

Idcirco pulsatio abdominalis saepe utique qua affectio primaria, forte tamen saepius qua secundaria oritur, cum priori casu sensus seu sensorium immediate, in altero vero nervi plexus coeliacus mediate afficiantur. Videmus certe terrore, anxietate, moerore ac reliquis affectibus deprimentibus vehementes qualiscunque generis spasmos, cardialgiam, palpitationem cordis, diarrhoeas etc. subito excitari, neque tamen monstrare possumus, cur psychica ejusmodi affectio in partibus a sensorio tam remotis effectus suos noxios manifestet. Generatim nihil obscurius videtur infinita illa varietate, qua singulorum symptomatum perversae nervorum actionis vicissitudo observantis in conspectum producit. Ubi spasmus initium capit, ubi ejus finem inveniemus? Rem exactius perpendenti in quovis morbo spasmus videre licebit, si spasmus quamcunque nuncupat morbose auctam seu alienatam nervorum actionem, adeoque pulsatio abdominalis qua causa dinamica nihil aliud est quam affectio systematis nervorum spasmodica, majori vel minori ambitu. Haec affectio tam late potest esse diffusa, ut totum vasorum systema occupet. Sic Morgagni ²²⁾ de utore quodam narrat, magno potore, qui palpitatione cordis, anxietate, dyspnoea, animi deliquiis, simul vero pulsu om-

22) De sedibus et causis morborum epist. XXIV. n. 34.

nium arteriarum in toto corpore, continuo vero pulsatione vehementi inde a regione cordis usque ad umbilicum tantopere laborabat, ut major illi nunquam occurreret. Non sentiebatur tantum sed et conspiciebatur et aegrotus eam in extremis percipiebat corporis sui partibus. Carotides, arteriae temporales ac radiales hac forti et vibranti pulsatione, itidem afficiebantur. Paulus Solanus, aegrotum aneurysmate laborare censebat et hoc supponens, pluries sanguinem ei detrahare jussit. Attamen aeger quarta die post receptionem in nosocomium St. Mariae de morte, quo Paulus Solanus eum remiserat, mortuus est. E sectione prodiit, cor, intestina abdominalia ac vasa majora omnino omnia sana fuisse. Quærit Morgagni²⁴⁾: „Unde igitur tanta et tam vehemens cordis omniumque arteriarum pulsatio? Nempe indidem, unde est in plerisque aortae aneurysmate tentari, incipientibus. In his vero non ab aneurysmate, ipso est, quod necdum est factum, et si factum, esset tunc potius, ut in dilatatis fluminum alocis, videmus impetum minui fluentis humoris, sed ab ea causa est, quæ aut sola aut cum aliis ipsum facit aneurysma, vasorum parietes violenter urgendo, infirmando et extrorsum denique compellendo. Ea autem causa in aucta præter modum vi consistit, qua cor in aortae initium, et hoc in proximam arteriæ partem, et pars hæc in aliam deinceps sanguinem trudit, qui præsertim, eo copiae modo, et qualitate ea sit ut violentior, rem illum motum et facilius possit accipere et vehementius ad parietes arteriarum transferre.

„Quid igitur magis angeat et arteriarum vim, quam ea victus ratio, quæ vividiorum spirituum, et si vis, magis etiam irritantium copiam præter modum adaugeat? Et certe victus rationi non in hoc modo homine sed in aliis quoque aliis, quando vidi ejusmodi arteriarum universarum pulsationem successisse, imprimis in viro Meldulensi, a quo ante hoc circiter quadraginta annos consultus sum. Vidi præterea in aliis, in quibus senex honestus fuit, civis meus, et mercatores duo, alter Batavinus, alter Venetus, quorum hic fluente ætate adhuc vivit, alter affecta mortuus est, cujus cadaver ut incidere mus, nullis precibus ab uxore impetrare potuimus. Hoc omnes fuisse bibaces non credo, imo aliquem non fuisse scio. Ab nervis tamen in his quoque omnibus eam pulsationem fuisse crediderim, cum signa peculiaris aliorum morborum non essent, aut si essent, vel ad irritatos nervos haud obscure spectarent.“ — Sæpe utique aegrotos de rebus quam maxime ridiculis conqueri audimus, non tantum ob imagines vividioris animo conceptas, sed quia causa in perversa nervorum actione posita est et aegroti male reagent. Exempla hujus generis homines præbent hypochondriaci et hysterici quorum menti abnormis nervorum actionum cogitationes et phaenomena ingerit, quæ sanæ rationi atque iis quæ experientia discimus omnino sunt contraria. Num in impetu epileptico vigilationes, hæmorrhagiæ etc. alio modo oriuntur quam auctæ nervorum actionis in vasa efficiuntur? — Mera primaria affectio i. e. immediata immaterialis cujusdam (nobis incognitæ) causæ vis sæpe utique pulsationem abdominalem efficere

potest, cum locus centralis, sensorium, animi quodam pathemate sive depremente sive exaltante, afficitur istaque affectio e loco centrali latius diffunditur donec ad abdomen perveniat, ubi, qualemcumque ob causam, peculiare quaedam nervorum ad vasa pertinentium, sensibilitas ac receptivitas locum habet. Tum aucta nervorum actio impetum in quodam vase, i. e. pulsationem excitat, donec aequilibrium rursus restituatur. Hinc pulsatio, hac e causa dinamica nata, nunquam est continua, sed nunc per longiores nunc per breviores intermissiones interrumpitur, prout opportunitas vel momentum vim exserens vel minoris vel majoris fuerit efficientiae. Hoc saltem observationes me docuerunt, quas saepius in nosocomio hujus urbis academico instituendi occasio mihi offerebatur. Ceterum haec pulsatio abdominalis, praesente aliqua praedispositione, ut omnes morbi spastici quorum symptomata tantum nobis nota sunt, quam saepissime minimis adducitur momenti et observans crebro brevibus intermissionibus decipitur, vel etiam eo quod ipse auctor fuit, qui hoc symptoma excitaverit, et facile ad eam opinionem impellitur hanc abdominalis pulsationem esse constantem. Quodsi pulsatio abdominalis constans est, morbosae nervorum actioni non quidem unice culpa videtur attribuenda, sed ni fallor, inter causas eae forte numerandae essent, quas praecedentibus capitibus tractavimus, aut momentum efficiens semper perdurat, ut e. g. plethora abdominalis, tum pulsatio abdominis in directa cum momenti excitantibus versatur ratione. Quidam in clinico nostro mane stato tempore pulsationibus abdominalibus affi-

ciebatur, quam diu nihil sibi adsumserat; alius quasi ex praescripto hoc malo vexabatur, si medici aegrotos invisebant. Priori casu, ratio in stimulorum necessitate posita fuisse videtur, ubi mox nervorum actio, si quid assumserat in assimilationem dirigebatur, tum vero cessabat; alterius casus causa mere forsan psychica fuit, sensu anxio quodam eoque temerario, vel animo perturbato vel aliis ejusmodi adducta.

Pulsatio abdominalis ceteroquin a multis antiquioribus et recentioribus scriptoribus in hypochondriacis et hystericis observata et qua symptoma hypochondriacae, hystericae, post menostasiam, haemorrhoides suppressas, qua prodromus haemorrhagarum tractus intestinalis etc. considerata est.

A. Pulsatio abdominalis qua symptoma hypochondriacae.

Tanquam focus hypochondriacae organa abdominalis sunt consideranda, quae tum in statu languoris et atoniae versantur. Semper fere in hypochondriacis quam manifestissime et constantissime affectiones organorum digestionis et assimilationis reperimus, hinc istae merito ad naturam morbi hypochondriaci pertinere censentur. Haec igitur organorum digestionis et assimilationis, affectio qua malum secundarium, illam producit perversam nervorum actionem, qua illae crebro ridiculae querelae ac sensationes nituntur, quae saepe ad majorem evehi videntur, vel revera evehantur gradum, quia aegrotus pessime contra

malum suum reagit. Raro illa perversa nervorum actio sincera et non permixta prodit, semper fere vario modo cum vegetazione abnormi, vitiosa aperte animalis materiae mixtione ac morborum irritabilitatis manifestationibus conjungitur. Pulsatio abdominalis igitur non quidem constans sed profecto frequens morbi hypochondriaci est symptoma; et saepe forsitan a medico negligitur, quia contactum abdominis in aegroto non semper necessarium judicat, vel ad inutilem refert curiositatem. Lieutaud ²⁵⁾ morbum hypochondriacum describendo: „Pulsatio, inquit, in abdomine, quae ad coeliacam referri solet quibusdam tactu percipitur.“ De Haën ²⁶⁾ centurionem quendam melancholicum curabat qui pulsationem in abdomine patiebatur, qua vero, uti ab omnibus reliquis symptomatibus medicamentis, vehementer alvum moventibus, liberabatur. Zuliani ²⁷⁾ quoque pulsationem qua symptoma morbi hypochondriaci et hysterici sequentibus describit verbis: „Et revera nonne saepe observamus inter spasmos hypochondriacos atque hystericos carotides validius pulsare, dum pulsat de more ad caput arteria? Nonne cerebrum praesentitur quoque enormis illa pulsatio, qua hypochondriacorum et hystericarum abdomen immaniter exaggitatur, quaque tangentis manus mirum in mo-

- 25) Synopsis universae praxeos medicae. Amstelod. 1765, pag. 90.
 26) Heilungsmethode a. d. Lateinischen übersetzt von Plattner, Leipz. 1782. B. II. pag. 29.
 27) De apoplexia. Lips. 1790. pag. 79. §. 132.

„dum percëllitur? Ex eo autem quod totum succutiatur abdomen, atque ex variis profundisque punctis exoriatur pulsatio; arguimus, haud semper coelicae ramum pulsare, sed aortam ipsam.“ Pinel ²⁸⁾ ad eos pertinet auctores, qui pulsationes abdominis symptomatibus morbi hypochondriaci accensent, dicens: „palpitations du coeur, et quelquefois une sorte de pulsation irrégulière dans quelque partie de l'abdomen.“ Richter ²⁹⁾, affectionem hypochondriacam describendo ait: „Häufig ist damit ein Klopfen in der Magengegend und ein Aufstreifen derselben durch Blähungen verbunden.“ Sequentes morborum historiae haud inepte hoc loco proferendae mihi videntur: Tulpus ³⁰⁾ scribit: „Nihil in arte medica notius, quam lienem subinde pulsare seu potius concitatas ipsius arterias. Sed ipsum hoc viscus, costas tam valide ferire ut vapulantium sonitus e longinquo audiatur, id certe novum et forte hactenus inauditum. — Nicolao Fabro, viro industrio, sed ab atra bile frequentius afflicto, fecit nonnumquam induratus lien tam vehementer impetum in costas circumpositas, ut ex urgentiore illo allisu, non modo doleret ipse, verum verberum sonitum, perspicue exaudirent longissime ab ipso remoti. Et quidem tam distincte ut numeraverint non semel singula ver-

- 28) Nosographie philosophique etc. par Ph. Pinel. edit. V. Tom. III. Paris 1813. pag. 87.
 29) Specielle Therapie. B. VII. Berl. 1820. p. 344.
 30) Nicolai Tulpii Observationes medicae. Amstelod. 1652. Lib. II. Cap. XXVIII. pag. 147.

„bera et admota manu coram tetigerint quoscun-
 „que ferientis lienis ictus. Quorum reciprocum
 „sonitum equidem memini, cum Henrico Salio,
 „medico Ultrajectino, satis distincte audivisse,
 „licet id temporis ab ipso recessissemus ultra tri-
 „ginta pedes. Sed prout vel uberius vel parcius
 „redundaret bilis atra, pro eo etiam vel intendende-
 „batur vel remittebat horum ictuum vehementia.
 „Adeo ut, evacuato convenienter corpore, non-
 „nunquam integre cessarent haec verbera, sed
 „eo rursus impuro, increvere identidem usque eo
 „ut cogeretur aliquoties implorare opem medicam,
 „antequam liberaretur a vitio alias ineluctabili.
 „In cujus naturam equidem lubenter inquisivis-
 „sem, nisi cadaver denegasset defuncti vidua,
 „cogitans, quo non licuit oculi eo saltem ingenii
 „penetrare acie. Excitati itaque fuere hi ictus,
 „cum a motu atrae bilis, tum a spiritu, sanguine
 „arterioso incluso. Quae duo acquisivere tan-
 „tum virium, ob prohibitam transpirationem et
 „adstrictam arteriarum spleneticarum obstructio-
 „nem, ut potuerint non modo elevare sed movere
 „satis commode, grave et induratum lienis cor-
 „pus. — Haec morbi historia ex mea sententia
 „sufficienter probat, qua ratione atra bilis ad pul-
 „sationem abdominalem sit referenda, et quod
 „perversa nervorum actio e majori vel minori
 „atra bilis copiam pendebat.

Burggrafe ³¹⁾ sequentem narrat casum: „Vir

31) Acta Naturae Curiosorum. Norimberg. 1742.
 Vol. VI. Observat. CXXXI. Dr. Joh. Philippi
 Burggrafi diuturna et valde molesta pulsatio
 in epigastrio.

„66 annorum, justae staturae, robustae compa-
 „gis, sat pleni adhuc corporis habitus, sangui-
 „neo cholericus; sartor, trigesimo secundo aeta-
 „tis suae anno, nuptias postquam celebrasset,
 „mox magnam fortemque in epigastrio, ab umbi-
 „lico ad scrobiculum usque sinistri orificii ven-
 „triculi pulsationem persentire coepit, in hunc
 „fere diem continuatam et saepe ita exacerbata,
 „ut ab adstantibus audire potuerit, ac collare
 „linteum supra sternum dependens exinde sub-
 „sultaverit, magnasque ipsi molestias excitaverit.
 „Statim opem exquisivit erillo ab tempore invasi-
 „onis usque ad 66 aetatis suae annum adeoque
 „per 34 continuos annos multorum indigenarum
 „et exterorum medicorum praescriptis sollicitè
 „usus est; sed quod maxime doluit incassum.
 „Ceterum satis bene valuit, aliquot liberorum
 „pater. Voluit tandem, nescio cujus suasu, et
 „meas in medendo hoc malo expectari facultates.
 „Manu mea mense Septemb. 1738 denudato ejus
 „epigastrio admota, pulsationem hanc exploratu-
 „rus, illam tam magnam tamque validam sed
 „profundam, et quasi in epigastrii centro persen-
 „tiebam, ac si baculus ultra pollicem crassus
 „pulsaret. Conferebam hunc pulsum praeterna-
 „turalem cum arteriarum in carpis pulsationibus,
 „quae naturales sanaeque erant, et his contempora-
 „nae, sed duriozem regidiozemque deprehende-
 „bam. — Adeoque pulsationem praeternaturalem
 „esse arteriosam mihi innotescebat; sed quanam
 „arteria pulsaret, dubijs haerebam. Nullis enim
 „praeterea symptomatibus affligebatur aeger, quae
 „laesam alicujus partis functionem mihi signando
 „incognitionem arteriae praeternaturale pulsantis

„me adduxissent. Abdomen erat molle, aequale,
 „nullibi praeternaturaliter prominulum nec ex
 „ejus tactu ullibi interius molestiam se percipe-
 „re, aeger affirmabat. Nullam in corpore arteri-
 „am quae ratione tam situs perpendicularis a sini-
 „stri orificii ventriculi scrobiculo ad umbilicum,
 „quam magnitudinis fortitudinisque pulsus, huic
 „praeternaturali in epigastrio pulsui responderet,
 „praeter aortam, noveram. Hujus vero profun-
 „dus juxta spinam situs, vetat ejus in epigastrio
 „admota manu pulsus sentire. Quando enim
 „praeternaturalis illa pulsaret, tunc in postica po-
 „tius quam antica corporis parte observaretur. *)
 „Nec arteria coeliaca fuit; mox enim sub dia-
 „phragmate illa prodit, non vero ad umbilicum
 „protenditur. Forsan fuit ille arteriae mesente-
 „ricae inferioris ramus insignis, qui cum alio
 „mesentericae superioris saepe communicans, rur-
 „sum ad ventriculum surgit? sed quid hunc arte-
 „riosum surculum ita praeter naturam vehementer
 „pulsare fecit, subibat mentem cogitatio, an an-
 „eurysma alicubi in abdomine et in memorata
 „modo arteria forsau haereret? Hanc conjecturam
 „pensitando mens probabat quidem, sed haesi-
 „tanter; quod aneurysmatum temporis tractu pul-
 „satio decrescebat, tandemque ita deficiebat, ut

*) Nota. Jam supra pag. 28 mulierem leticam ex-
 plorando, aortam longius ad locum ubi in ili-
 acas distribuitur persequabar et curiosior Prof.
 Struve observatio casibus 20 et quod excurrit
 confirmavit, aortam commode usque ad iliacas
 persequi licere.

„amplius non sentiretur, quia arteria in loco di-
 „latato, grumosa et polyposa materia ita intus
 „incrustari soleat ut pulsus ibidem suffocet. Et
 „quidni in nostro aegro per 34 annorum tractum
 „tale quid factum fuisset? sed sub hac mentis
 „agitatione hanc natam dubitationem e vestigio
 „aliqua responsio sequebatur; nequaquam tumo-
 „rem quendam latiusculum sed integram; ast
 „ampliatam arteriam pulsare. Adeoque non tam
 „legitimum aneurysma, in quo villis membranae,
 „praecipue muscularis, continuo solutionem par-
 „sis, arteria ibidem impar sustinendo impetui
 „sanguinis e corde propulsi reddita, se in pe-
 „cultarem tumorem dilatari patitur, subesse; sed
 „spurium aneurysma, quo arteria in omnibus il-
 „lam contextibus tunicis integra quidem sed ab-
 „adaucta vi impetus vel recti, vel reflexi, san-
 „guinem supernaturalem et ordinariam arteriae re-
 „sistentiam impellentis ita violenter distracta fuit, ut
 „ad naturalem virtutis suae contractoriae terminum
 „perfecte redire nequiverit. Qualia aneurysmata
 „praeter alias causas, validi corporis in bajulis
 „et tubercinibus conatus, qui motum atque im-
 „petum sanguinis naturali constitutione, longe
 „voluntariis suis nisibus majorem reddunt, pro-
 „ducere solent. Non recordabatur aeger, quod
 „post talem aut similem corporis nisum, haec
 „pulsatio inceptit. An vita sedentaria, qua
 „compressa antequam abdomine sartores sedere so-
 „lent in neogamo nostro, post pastum etiam,
 „pleno contenta abdominis urgente ventriculo,
 „in rebus officii sui adsiduo adauxit impetum
 „vel rectum, vel reflectum sanguinis, per dictum
 „communem arteriarum mesentericarum surculum

„propulsi, ut dictus hic surculus, ultra suam elasticitatem distractus fuerit, sicque integritatem virtutis suae contractoriae, utcunque perdidit? Haec causa ad producendum tale ac dictum aneurysma spurium in hoc aegro haud sufficere videtur. Interim ideâ ejusmodi spurii aneurysmatis, ex phaenomenis in praesente aegro utcunque nata, tristem simul immedicabilis mali prognosin suggestebat. Qua enim arte arteriae, quae jam praeternaturalem diutius, quam naturalem experta erat statum, utpote quae per 34 annos perfectam suam vim constringendi perdidit, et cui distractio haec praeternaturalis in habitum prorsus confirmatum degeneraverat, illa iterum integra reconciliari posset? — Quoniam vero lotium subflavum omni coctionis signo destitutum erat, crudusque sic satis succos arguebat, mihi haud visum fuit prudentiae esse, aegro supra memoratam tristem prognosin omnem, ne nimium istum statim constrictam, plane et simpliciter exponere, sed de mali tantum difficultate, quod per 34 annos jam medelam nullam admisisset, admonere: addidi me prius tentaturum, an illam humorum cruditatem, multorum forsitan insequendorum incommodorum feracem, subigere valeam, ac dein me indicaturum pollicitus sum, quid de abigenda ista in epigastrio pulsatione sperandum habeat. In hunc finem praescripsi Gum. Ammoniac. puriss. Extract. Gentaur. minor. Saponis Veneti aa m. accuratissime .ss. pilulae, quarum drachmam dimidiam mane itemque vesperti sumeret, et infusum quoddam ex speciebus aperientibus paratum superbiberet, idque omne per aliquot septimanas continuaret;

„tam laeto cum successu id praestitit, ut non solum pulsatio ita successive imminueretur, ut admota epigastrio manu vix adhuc percipi poterit, sed et ipsi aegro non amplius impedimento in negotiis suis fuerit, tandemque omnis cessaverit. Manxit et dein lotium prorsus sanum. — Quod usu istorum remediorum pulsatio haec ablata fuerit, satis docet, aneurysma haud subsistere, utpote talibus remediis neutiquam superabile.“ — Attamen prosper usus catapotiorum successus, uti et vitae genus ac negotium aegri, vita ejus sedentaria etc. docent, probabiliter hic plethoram abdominalem seu statum hypochondriacum locum habuisse, quo liberabatur adeoque pulsatio ejus abdominalis sanabatur. Memoratu dignum est, hunc casum annorum 34 spatio non organico-habitualem esse redditum.

Kreysig ³²⁾ de viro narrat, robustae constitutionis, sedentariam plerumque vitam agente qui non solum forti abdominis pulsatione, sed simul periodicis animi defectus insultibus, fortiori pulsatione in scrobiculo cordis et largo ac viscoso sudore in manuum palmis laborabat. Repetitus thermarum Carolinarum usus ab his incommodis eum liberaverat ita, ut exactis tredecim jam annis, nonnumquam vix levissimam eorum memoriam conservaret. — Et hoc in casu certe plethora, infarctus, vel alia ejusmodi causae suberant, uti morbi historia breviter relata et pros-

32) Herskrankh. Th. I. p. 316.

per thermarum Carolinarum usus probare videntur. —

B. Pulsatio abdominis qua symptoma hysterae.

In hysteria primaria nervorum affectio sincerius prodit, ratio auctae nervorum actionis non, uti in hypochondria, in organis abdominalibus languescitibus et atonicis quaerenda, qua re modo secundo illa nervorum actio producitur; hysteria morbus nervorum est purior, in eo aucta sensibilitas perspicue magis manifestatur, affectio quaedam dynamica apertius significatur, cum e contrario in hypochondria materialis passionis conditio monstrari possit. In hysteria semper generationis sphaera in certissimam venit phaenomenorum morbosorum societatem, insigniter crebro ac primario afficitur, quod tanto gradu in hypochondria nunquam accidit. Quatenus hypochondria et hysteria inter se differant, sufficiente et quantum suis mihi propositus postulare videbatur, ostendisse credo, a reliquis differentiis afferendis abstineo, ne forte nimis sim verbosus. Sine dubio pulsatio abdominalis in feminis hystericis frequentius observaretur, si medicus, verecundiae feminae prospiciens, abdomen indusio tantum vel tunica interiori tectum crebrius contrectaret. Num cum in hysteria semper fere generationis sphaera morbum quam maxime participet, quae, mediante inprimis utero, tantam in singularem feminae alicujus habitum ac temperationem vim exserit, uterus vere cum

nervis e plexu coeliaco sit consociatus, mirum certe non est, si irritatio aut peculiaris nervorum uteri sensibilitas in nervos e plexu coeliaco propagatur et sic nimiam in quadam systematis vasorum parte actionem producit, quae jam pulsationis abdominalis nomine venit. Hoc mihi saltem verum esse videtur; nonne etiam ex irritatione systematis uterini immanes saepe spasmos in ipsis remotissimis partibus, post conceptionem vero, ubi recens quoddam momentum excitans apparet, nauseam, vomitionem, saepe peculiarem quandam sensum auctae actionis abdominalis in regione pubis etc. oriri videmus, qui saepius per satis longum temporis spatium perdurat? Imo Albers³³⁾ de uxore cujusdam narrat fabri lamnarii Bremensis, quae plures jam partus ediderat, in qua pulsatio abdominalis tam certum graviditatis signum fuerit, ut huic magis quam omnibus reliquis, e. g. defectui menstruationis etc. confidere potuerit. Pulsationem interdum ita vehementem fuisse, quod et maritus confirmaverit, ut perspicue audiri potuerit. Post tertium mensem eam cessare solitam. — Omnia haec symptomata aperte morbose auctam demonstrant nervorum actionem, quae, ut e. g. in conceptione, modo dynamico ac materiali afficitur, quaeque, praesente aliqua praedispositione, et in vasa abdominalia reagere ac sic abdominis pulsationem potest excitare. — Morgagni³⁴⁾ valde memorabilem

33) l. c. p. 52.

34) de sedibus et causis morborum. Epist. XXXIX n. 18.

refert casum, quem ipsis ejus verbis hic cum lectoribus communicabo: „Honestâ et pia virgo, „annos nata quatuor et quadraginta, cui sanguis „hactenus singulis mensibus ubertim per uterum „responderat, cum fluere uno jam, atque altero „mense omnino intermisisset, queri coepit de „palpebrarum et oculorum pruritu et de brevibus quidem sed recurrentibus cordis, ut ipsa „quidem aiebat, palpitationibus. Cum hac repente graviores fractae essent et assiduae, advocamur. Tum aegra ut earum nobis sedem indicet, non pectus sibi, sed epigastrium tangit. Manum huic imponimus et durum quoddam ac grande corpus magno impetu vibrari et manum ferire, percipimus. Ingentem dixisses aneurysmatis subesse tumorem, identidem pulsationes ingeminantem, occupantem autem non modicam in medio partem et supremo et proximo ventris regionem. Nec aliter aliis visum est. Mihi vero cum iis conveniebat quidem, nihil ad cor eas pulsationes attingere, quippe cum in pectore nulla est vibratio nihilque pulsus, utroque in carpo tentati, ostenderent quod a naturali modo abesset, nisi quod paulo essent frequentiores. Sed de aneurysmate assentiri non poteram, cum propter alia, tum praesertim quia pulsationum illarum tempora minime cum pulsuum temporibus congruebant. Erant enim valde inaequalia earum intervalla, ut vis quoque; nam saepius validissimo impetu, interdum et minus valide feriiebatur manus, cum interim nihil in pulsibus ad carpos mutaretur. — Longe tamen facilius erat dicere quid non esse, quam quid esse videretur is tumor ingens et durus, ut antea in-

„dicatum est et quasi circuli ambitu comprehensus, qui a lumborum vertebrae subinde se attollebat ad feriendam manum, continuo autem se ita subducebat, ut vel in gracili virgine haud proclive esset deprehendere quo se retraxisset, donec iterum se extolleret, manumque percuteret. Quanquam autem illud erat obvium, in hystericarum mulierum ventre quosdam haud raro quasi globos percepi, qui ab inferioribus ascendentes eas male habeant; ex adverso non minus erat obvium cum ejusmodi pulsationibus illos non conjungi, ut aneurysmate repraesentent. Attamen et hoc, et caeteris quae contra dici possent, animo percursis, et iis simul animadversis quae rara saepenumero, et praeter opinionem illis in mulieribus occurrunt, eo inclinari me sensi, ut conjicerem, quidquid illic esset, ad affectum hystericum-convulsivum facile posse revocari. Sed mea vix indicata conjectura, omnique, ut ad aegrotantium lectulos consuevi facere, cum de remedio alioquin convenit, ommissa controversia; sanguinem ut mitterent, sicuti evidens praegressa causa requirebat, continuo assensus sum. Quo facto, ita aegra melius se habere coepit ut postidie nulla amplius superesset palpitatio.“ — Quamvis Morgagni optimo jure hunc morbum pro symptomate hystericum-convulsivo habeat et allatus casus huc pertineat, haec tamen hysterica affectio consecutiva tantum erat ac momentum causale primarium mensibus suppressis continebatur, quapropter ex parte illuc pertinere videtur. Vid. C.

In instituto hujus Academiae clinico mense

Februario h. a. hysterica quaedam recepta est, satis forti etiam pulsatione abdominali laborans, quae tamen post usum antihysteri-
corum, ut Valerianae, Asae foetidae ac Liquoris anodyn. min. Hoff. brevi tempore intermittebat. Simul atque aucta in universum sensibilitas et perversa nervorum actio in melius mutata erant, et haec cessabat, quae auctae vasorum actionis causa fuerat.

In morbis etiam, qui characterem magis nervosum et spasmodicum adoptant, haec pulsatio abdominalis observatur. Hic, quamdiu non nimia irritatio adest, peculiaris praevalet sensibilitas et in partibus maxime nervosis utique quam plurimum. Sic Dr. Thilenius ³⁵⁾ ipsam sui morbi historiam fusius narrat, praeviam vero observationem praemittit, secundum quam tunc temporis inflatio ventriculi epidemice dominabatur, a R. A. Vogel perbene descripta, ubi, praeter alia signa characteristica, „nonnulli ne minimam quidem pressionem externam perferre poterant, alii autem pulsationem in cordis scrobiculo sentiebant.“ — In tota morbi historia descriptio auctae sensibilitatis, spasmodicae cujusdam conditionis facile agnoscitur, quae autem non unice qua affectio dinamica apparet, sed cujus ratio in intestinis tenuibus blenorrhoea laborantibus posita esse videtur, quae blenorrhoea vero commode

35) Medicinische und chirurgische Bemerkungen von Dr. Mor. Gerh. Thilenius. Th. II. Frankf. a. M. 1814. p. 350 — 370.

etiam pro sequela affectionis dynamicae haberi potest.

Morbi etiam, qui per longius temporis spatium permanserunt, homines sensibiliores reddunt ac saepe, si status torpidus praecesserit, secundum hanc magis prodeuntem sensibilitatem reditum aegroti ad commodiorem valetudinem metiri possumus. Sic Kausch ³⁶⁾ in memorabili morbi sui historia narrat: „Postquam ex adversa valetudine paulum emergere inceperam, haud raro pulsationem animadvertēbam arteriae, cujusdam magnae sub praecordiis, quae dubium me fecit, num pulsus cordis esset, qui me forte quoad verum locum falleret.“

C. Pulsatio abdominalis quae sequela menostasiae.

Jam Hippocrates ³⁷⁾ eam observabat et sic de ea disserit: „*Ἐν Ἀριόσῃ γυναίκε Γοργίου, ταῖς ἐπιμήνιαι διατεσσαρῶν ἔτειν ἰσχυρὰ, πλὴν ἄλλων ἰσχυρὰ. Ἐν δὲ τῇ μητρὶ, ἰσχυρότερα ἐν κλισθῇ σφίγγον ἰσχυροῦς βαροῦ.*“ — Defluxus sanguinis men-

36) medicinisch-chirurgische Erfahrungen, in Briefen an Girtanner, Hufeland, Loder, Quarin, Richter u. s. w. nebst den eingegangenen Antworten Leipz. 1798 p. 201.

37) Hippocratis opera omnia ex edit. van der Linden. Lugduni Batavorum 1665 Lib. V. V. pag. 770.

strualis in femina pubere ad statum normalem pertinet. Huic semper fere praecedunt sic dicta molimina, quibus omnibus plethorae, vel etiam mitium spasmodorum et auctae sensibilitatis nota quasi impressa est. Feminae hac in periodo non tanquam aegrotantes sunt considerandae, attamen peculiarem quandam ad morbum praedispositionem ac sensibilitatem in iis invenimus. Quodsi qualiscunque potentia noxia hic normalis sanguinis fluxus supprimitur, jam pro diversitate constitutionis, irritabilitatis, aetatis aliarumque rationum, diversae etiam apparent molestiae, sollicitudinem afferentes. Cum autem feminae semper ad sensibilitatem vergant, crebrius symptomata sensibilitatis; auctae irritabilitatis, statusque quidam spasticus saepe universalis, saepe localis, prodibunt. Naturae convenienter haec symptomata praecipue in nervosis corporis organis manifestabuntur et qua spasmus hystericus tales partes occupabunt ut illae sunt, quibus plexus coeliacus prospicit quaeque quam saepissime auctam vasorum actionem adducunt, a manu exploranti facile pulsationis instar percipiendam.

Burggrafe ³⁰⁾ sequentem refert casum memorabilem, huc pertinentem: Puella nobilis 23 annorum, teneri ac gracili corporis, quae quinque mensium intervallo menstruatione destituta fuerat, ex aliquot mensibus pulsum fortem ac

vehementem in regione epigastrica sentiebat, qui cordis vibrationi respondebat, in manu vero non erat tensus. Pulsatio in regione epigastrica tam erat vehemens, ac si cor quoddam inusitatae magnitudinis in ea moveretur; tota regio epigastrica inde attollebatur, quod circumstantes videre poterant. Cum manus in dorsum et in latus, regioni epigastricae oppositum, poneretur, pulsatio itidem, non vero vehemens percipiebatur. Aegrotans nec praeternaturalem sitim neque aestum conquesta est, interdum tantummodo leuem observabat horripilationem; urina quoque quoad colorem reliquamque indolem naturalis erat, perinde ciborum appetitus, digestio et excretiones; quandoque tamen aegrotans post coenam quasdam molestias respirando et ambulando persentescerebat, vectionem vero commode perferebat. Somnus nocturnus valde erat quietus. Nullius recordabatur causae praecedentis, (e. g. vehementis cuiusdam corporis motus etc.) e qua praeternaturalia haec pulsatio oriri potuisset, sed sponte et ipsa inscia nata erat. Primis morbi diebus semel atque iterum vena ei secabatur, sanguis autem bonus apparebat; postea etiam paullum sanguinis ei detrahebatur. Jam quaerebatur, qualis hic morbus et qua ratione esset sanandus?

Haec morbi historia Amstelodamum ad Dr. Massuet transmittebatur, qui hoc phaenomenon pro sequela suppressae menstruationis et pro vero habebat symptomate hystericum. Pulsationem explicabat per succussionem vel convulsionem totius regionis epigastricae, quae vero magis in anteriori quam in posteriori corporis parte locum habuisset, quapropter etiam pulsatio in hac non adeo

30) Dr. Joh. Philip. Burggrafe auserlesene medicinische Fälle und Gutachten. Frankf. a. M. 1784 p. 310.

fuerit vehemens. Simile phaenomenon in febribus synochicis occurrere affirmabat, videlicet si manus in dorsum ejusmodi aegroti poneretur, ubi statim temporum intervallis pulsatio quaedam arteriarum, pulsui similis, sit observanda; sed hanc non esse motum arteriae, verum potius motum convulsivum partium irritatarum.

D. Pulsatio abdominis qua sequela haemorrhoidum suppressarum.

Repetere hic deberem quod sub C a me dictum est, si hoc in casu pulsationis abdominalis ortum vellem monstrare, valet igitur hic quod sub C attuli. Quicumque plethora abdominali laborant ac fluxu haemorrhoidali ab hoc morbo liberantur, hac in periodo feminis mensuris similes sunt habendi, cum et illi, ut feminae menstruationis tempor. ad multos morbos sint opportuni.

E. Pulsatio abdominalis qua prodromus haemorrhagarum tractus intestinalis.

Haemorrhagia hujus generis crebro symptomata quam maxime horrenda praecedunt, quae describere et recensere non mei est consilii. Symptoma igitur saepe praecedens et concomitans pulsatio quoque abdominalis est, et quidem ita cre-

bro, ut Albers ³⁹⁾ ob perpetuam rei observationem, hanc tanquam symptomata characteristicum proponere posse putaret, donec unus et alter casus, ad haemorrhoeam petechialem pertinens, erroris sui eum convincerat. Reil ⁴⁰⁾ haemorrhagiam tractus intestinalis describendo: „ante haemorrhagiam, inquit, eaque durante, varia nervorum symptomata, nausea, vertigo, animi depressus, sudor frigidus facile sunt obvia. Aegrotus urentem ardorem alicubi in abdomine sentit, saepe etiam pulsationem in eo perceptibilem, ut et inflationem abdominis, pulsus irregularis est, facile intermittens.“ — Quodsi momenta aetiologica haemorrhagiae tractus intestinalis consideramus atque recensemus, jam prius allata respicienti, pulsatio abdominalis hac ex causa jam explicata videbitur. — Haemorrhagia tubi intestinalis, praecipue melaena, minus jam haematemesi, libenter invadit homines aetate profectos intra annum 40 et 50, eos porro, qui macri et constitutionis atrabilariae sunt atque irritabilitate nervorum in universum, praesertim vero morbosia abdominis nervis laborant. Idem homines aggredi solet, quorum intestina abdominalia aegrotant, qui aspectu sunt cachectico, quorum pedes tumant, qui brevem ducunt spiritum, nec non eos qui vasorum febribus malignis, continuis et intermittentibus, aut moerore, tristitia et aegritudine consumti sunt. Denique vita umbratili ac sedentaria, perversa diaeta et abdo-

39) l. c. p. 53.

40) Joh. Christ. Reil über die Erkenntnis und Cur der Fieber B. III. Berlin 1805 pag. 132.

minis debilitate hujus generis haemorrhagiae, vel etiam ad eos opportunitas, valde foventur. Communiter simul aliae observantur affectiones, ad haec abdominis vitia propius referendae, ut e. g. arthritis, plethora abdominalis, haemorrhoides fluentes, morbi lienis et hepatis etc. Quodsi potentiis noxiis haemorrhoides fluentes aut menstruatio supprimuntur vel penitus cessant, aut si insultus arthriticus acutus repellitur, facile quidem, praesente aliqua praedispositione, illae contingunt haemorrhagiae tractus intestinalis, et irritatione nervorum sensibiliorum totius abdominis adeoque etiam eorum qui animandis vasis inseriunt, varia symptomata spasmodica, dolores, cardialgia, colica, sudor frigidus etc. saepius quoque illa pulsatio abdominalis, quae hic affectione materiali progignitur. Communiter haec symptomata vel cum insultu evanescent vel post remotas causas.

F. Pulsatio abdominis qua sequela vermium.

Bonet ⁴¹⁾ sequentia scribit: „Non vulgaria symptomata excitant quandoque vermes, et sunt ventris inferioris et ventriculi saltus et palpitatio- nes involuntariae, quod bis in duobus nobilissimis infantibus observavimus, quorum alter diem ultimum obiit, alter vero non nisi magna difficultate evasit. Hujus quoque symptomata

41) Sepulchretum anatomicum. Lib. III. Sectio XIV. Observatio XLIX.

„meminit Duretus in scholis Hollerii, tradens rusticæ cuidam mulieri plures prodiisse, cum antea incredibili palpitatione et fluctuatione ventris laborasset.“

Neque dubium est, vermes eos, quos occupant, praesertim si majoris sint receptivitatis, ut aetas infantilis ac sexus sequior, admodum redere sensibiles et saepius symptomata excitare vehementissima spastici generis. Mihi ipsi occasio contigit, plures eclampsiae casus observandi, quorum ratio in vermibus esset quaerenda. Nam semel post merum usum Infus. cujusdam Valerian., Flor. zinc. gr. vj et inunctionem abdominalem Ol. Hyosciami infus., tringinta et quod excurrit ascari- des lumbricoïdes secedebant et infans sanabatur. Duobus aliis casibus e sectionibus institutis proh dolor! patuit, unicam eclampsiae causam monstrabilem ingeniem fuisse lumbricorum in intestinis tenuibus numerum, qui pluribus locis conglobati reperiebantur.

Pulsatio abdominalis, ut quodvis aliud symptoma solum et unicum, per se nullius momenti est; respicienda sunt reliqua cum illa congruentia, neque obliviscendum quod Kreysig ⁴²⁾ repetitis vicibus monet: tali in pulsatione abdominali probabilitatem praesentis cujusdam aneurysmatis aut cordis vitii ratione inversa cum gradu ejus vehementiae observari, — Albers ⁴³⁾

42) l. c. p. 309.
43) l. c. p. 64.

sequentia affert signa hujus pulsationis, eo consilio, ut ab aneurysmata interno distinguatur:

1) Aneurysma internum paulatim oritur adeoque pulsatio sensim sensimque increcit, (quod, ni fallor, in tumoribus etiam accidit, qui pedetentim formantur et vas quoddam comprimendo, pulsationem adducunt.) Hae pulsationes e contrario subito apparent, statim ab initio communiter vehementissimae sunt, imminuuntur autem, si per temporis aliquot spatium moratae fuerint.

2) Pulsus in aneurysmate interno cum pulsu in manu plerumque simultaneus est, in pulsationibus vero, idem non semper contingit.

3) Cum aegrotus melancholia, hypochondria, hysteria vel aliis molestiis nervosis afficitur, cum sanguinem vomit vel atram quandam materiam, alvum dijudicando, evacuat, cum manus manifestas singularum abdominis partium desorganisationes distinguit, verisimillimum est, hanc pulsationem nullo aneurysmate interno effici.

Quaeritur autem, quaenam sint momenta aetologica, quod hic nostra in regione pulsatio abdominalis saepissime occurrat? Modum non excedere videtur, si decimum quemque aegrotum, praesertim inter plebejos nostrae provinciae homines, hoc symptomate oppressos statuimus; imprimis praeterita hieme hoc est observatum. Quicumque vitae genus rusticorum nostrorum perpendit, magnum certe remotarum causarum, morbos spasticos adducentium, numerum inveniet, e quibus satis clare patescet, eam abdominalis pulsationem, quae hic loci tam frequenter ob-

servatur, plerumque profecto ad causas dynamicas esse referendam.

Experientia confirmatum est, in nostra regione, apud plebejos quoque, affectiones nervorum haud raro occurrere, et hysteriam tam inter superioris quam inferioris classis homines pro ratione nimis frequenter reperiri. — Spasmi saepe sunt hereditarii, id quod experientia etiam comprobavit; nam quoties parentes, nervis infirmis ac symptomatibus spasticis laborantes, liberos iis plane similes progignunt, qui eodem spasmodico genere et in eadem, qua parentes, vitae periodo corripuntur? Sic epilepsia, chorea St. Viti, imo spasmi singulorum membrorum et organorum per plures saepe generationes latius propagantur. Atamen hereditaria affectio hic loci rarissime qua causa auctae sensibilitatis vasorum systematis consideranda videtur, crebrius certe semen ejus post partum evolvitur ac nutritur, quamvis affectionem hereditariam non plane rejiciendam censeam. — Nato infante, qui saepe jam (amictu gravidarum, quae tunicas suas muliebres supra corpus constringunt), in utero comprimatur, res multae eaque curae et educationi parum faventes adsunt, quae pro dolor! difficulter admodum removeri possunt. Puerpera cum infante suo per hiemem habitaculum incolit nequaquam spatiosum, fumo repletum, aerae meatui saepe expositum, degit in aere, per exhalationem pecoris, quod partem domicilii, (ut ipse vidi) occupat corrupto ac rebus sordidissimis circumdata. Alimentum matris consuetum est asper, saepe impurus ac male praeparatus rusticorum, cibus, e. g. farina cum teneris glumis frumenti excussis (Kaff) mixta, e

qua panem suum crebro admodum minima adhibita cura subigunt et coquunt. Consentaneum est jam vilem hunc matris victum, quae saepe etiam a multis aniculis ad frequentem ac largum ejus usum, ut infans lactens melius nutriatur, excitari solet, infanti noxium fieri; acida in primis viis colliguntur, saepe jam symptomata prodeunt spastica. Serius, exactis quinque aut sex mensibus infanti ipse hic vilis cibus porrigitur ac vetularum quarundam curae traditur, quia matri opera rustica incumbunt. Communiter vetula illa cum infante, curae suae commisso, matrem sequitur, quae nonnunquam labore percalefacta, ad lac ei praebendum decurrit. Hac absente, alitrix, ut pacetur, polenta sua vel pane eum pascit, quem ut digestibiliorem reddat, infanti praemandit, ac tum ori ejus illinit. Permutatio linteae plerumque tanquam negotium impeditum et inutile consideratur et ad proximum diem dominicam differtur, ubi plus est otii. Sic etiam balnei usus ac lavatio infantis negliguntur. Quid mirum si infans scrophulosus jam evadit atque variis exanthematibus et insectis tentatur, quae semper quietem ejus turbant, qua re jam omnia reproductionis ac vegetationis organa labefactantur. Serius quidem malum scrophulosum paulum exolescit, et partes solidae per fortes corporis intentiones majorem adipiscuntur firmitatis gradum, peculiari tamen sensibilitas ac receptivitas in organo reproductionis remanet, quae aliis postea impulsibus, ut paulo inferius ostenditur, saepe exitatur. — Pubertas apparens in utroque sexu efficit auctam nervosi systematis sensibilitatem, inaequalem vis nerveae distributionem, inprimis vero etiam

ejusdem in illas internas mutationes concentrationem eoque harum derivationem a nervorum finibus periphericis, rebus externis observatis, adeoque majorem receptivitatem quoad externa atque in sensibilitatem agentia momenta, quae tum facile nimis vehementer ac morbose agunt, extra hanc periodum autem sine detrimento perferuntur. Modo allata praecipue ad sexum mullebre sunt referenda, in quo vis hujus periodi noxia in inaequali amictu (velato saepe capite, calida superiori corporis parte, veste pellicea tecta, et quam saepissime pede nudato) et tempestatis saepe asperae non impedita efficientia monstrari potest. — Aestate rusticus ad labores suos, saepe in humidis ac paludosis pratis expediendos, pedibus natis festinat, et, dum pedes ejus in perpetuo versantur humore, corpus ejus, e quo largus manat sudor et caput inapertum pungenti solis ardori expositum est. Relicto ad quiescendum labore, calefactus, ut qui modo a labore reverterit, in umbra decumbit, saepe indusio tantum vestitus, crebro etiam solo humido. Noctu plerumque inde a veris tempore, si gramen jam tantopere increverit, ut pecus suum et nocte possit pascere, ad autumnum usque, ubi stabulo illud est includendum, sub dio dormit sine tecto et tam rori nocturno, quam pluviae, ventorum impetui et reliquis tempestatis malis expositus. Hieme jam hos intentos aestatis et autumnus labores totale fere otium consequitur, saltem labor hiemalis in nulla cum aestivo ratione conspicitur; interea victus idem permanet et ob quietem male assimilatur. Huc accedunt habitacula fumosa, sordida, obscura, a quorum consuetudine rustici nostri de-

duci, nondum possunt, decubitus in et pone fornacem, subita temperiei vicissitudo, dum, e calida fornace descendentes, saepe nudi foras exeunt, summa immundities ac squalor, insigne denique momentum, regionis epigastricae constrictio. Quippe et viri et feminae amictum suum forti ligamento circa epigastrium devinciunt, qua re non solum functio partium in his regionibus, e. g. ventriculi, mechanice coercetur, sed continua pressione major etiam sensibilitas in ganglio coeliaco producitur, quae tum facile irritata, qua momentum dyamicum, auctam vasorum hac in regione actionem procreat. — Saepe frequens spiritus frumenti potatio simul rationem nimiae irritationis continet; nam ego ipse, qui magnam vitae partem rure transegi, crebro vidi, feminas lactantes et lactentibus suis vinum adustum, quo ipsae saepe abundanter, utuntur in os instillare. — In mulieribus crebro, ob incuriam, durante menstruationis tempore, perturbationes in systemate uterino etc. prodeunt, quae initio tanquam nullius momenti negliguntur, sensim sensimque verum vim quam maxime damnosam in organismum exerunt. — Nec minus frequens et valde profecto detrimentosum momentum in abusu venaesectiois positum est. Simulac apud rusticos in morbum quis incidit, primum certumque, ex eorum opinione, remedium venaesectio est, sive morbus sit inflammatorius sive spasticus. Saepe in singulo morbo certa quaedam vena inciditur crebroque iis in locis, ubi mirum id videtur, quod parum tantum detrimenti ex ignorantia situs arteriarum ac venarum enascatur. — Suppressio se- et excretionem physiologicarum ac pathologica-

rum sine dubio frequenter huic pulsationi abdominali ansam praebet. Ob suppressos, praecipue pedum, sudores, ob repressas impetigines, ob vetera ulcera nimis cito clausa, quibus rusticus noster satis crebro laborat, maxime vero universali perspirationis cutaneae suppressione in locis illis affectis consueti cessant stimuli, et jam, secundum leges antagonismi, in alios nervos eosque majores ac perturbata assimilatione sensibiliores, ut in nervos plexus coeliaci, transferuntur, quorum eo ipso sensibilitatis gradus augetur et quantum in systemate vasorum, saepe ex parte tantum, auctam succitant actionem. — Quodsi praeterea anni superveniunt, rei frumentariae inopia calamitosi, ubi, frugum sterilitate praevalente, secale cornutum laete crescit, si autumnale tempus humidum est ac nebulosum, denique si, quod inter rusticos nostros saepe observatur, cachexiae insuper, syphilis cum omnibus malis ejus sequelis, exanthemata cujuslibet generis, ut scabies etc. grassantur; — jam momenta aetiologica sufficienter indicata videntur, quibus fit, ut pulsatio abdominalis cum multis aliis symptomatibus, uti consentaneum est, conjuncta, crebro inter nos conspiciatur. Summum enim versatur momentum in assimilationis organo vitiosis et inde a puerili aetate jam turbatis, quae tum ad omnes fortuito impulsus sunt praedisposita et modo secundo affecta perversam proportionem dynamicam in nervis abdominalibus efficiunt, qua re pulsatio abdominalis jam procreatur.

THESES DEFENDENDAE.

-
- 1) Carcinoma uteri, uti quilibet alius ejusdem morbus, exstirpationem ejus non indicat.
 - 2) Datur tantummodo tetanus traumaticus, tetanus rheumaticus non exstat.
 - 3) Asthma acutum periodicum Millari nihil aliud est quam febris intermittens larvata cum asthmate.
 - 4) Dislocatio cataractae reliquis operandi rationibus nunquam fere non est praeferenda.
-

W. A. H. H. H.